

tudine reducta circuli in illo multiplicatore prodeuntes, compares cum intensitatibus, quas in altero per torsionem vel oscillationes accuratissime deprehendere licebit. Ita scala sat multorum graduum per comparisonem determinata et in tabulam redacta, reliqui interpolando intercalari poterunt.

Instrumentum, hac via mensurae adaptatum, usu facillimum et commodissimum, praeprimis illis galvanismi amatoribus commendandum videtur, qui vel operam vel calculum methodorum directarum mox describendarum adhibere gravantur, nec profecto a physicis rejiciendum, imprimis ad observationes de decremento spontaneo intensitatis galvanicae insituendas. Certe suadendum confectoribus et venditoribus multiplicatorum, ut, illa comparatione a perito quodam petita vel ab ipsis instituta, tabulam adjiciant unicuique multiplicatori, ad mensuram destinato, quae relationem inter gradus circuli divisi, super quo acus movetur, et intensitates galvanicas exhibeat. Ceterum ne per parallaxin in legendo gradu peccetur, ex re erit, acu longiori et proxime ad circulum divisum demisso uti.

Non omittam hic monere, jam Becquerelium (Pogg. Ann. VI. 345.) viam monstrasse, intensitates, multiplicatoris gradubus correspondentes, empirice determinandi, sed, inscitia melioris comparandi methodi, tantae et tam utilis operae plenam, ut pluribus eam explanare taedeat.

Inter varios modos, quibus declinatione ad mensuram intensitatis galvanicae usi sunt, non negligenda est mentio methodi sat ingeniosae, quam Lenzius (Pogg. Ann. XXXIV. 585.) nuper adhibuit ad effectus sic dictos magnetoelectricos metiendos. Sat notum est experimentis Faradii aliorumque, qui eum secuti sunt, si ferri ductilis frustum, filo metallico circumvolutum, polis magnetis cujusdam admoveatur vel ab iis abstrahatur, eodem momento flumen galvanicum oriri, quod filum permeans per multiplicatorem, cum filo communicantem, indicari possit.